

scuntur sesquiunciæ plerumque intervallo, conjugata, Origani vel Ocyimi foliis similia figura et magnitudine, averfa parte villosa, et ut plurimum ferrata. *Flores* summis infident ramulis, solitarii, lutei, formæ ut in congeneribus, et magnitudinis in figura expressæ. *Semina* succedunt exigua, compressa, nigricantia, sed brevi et alba lanugine tecta.

Provenit locis apricis et humidioribus prope Veram Crucem. Mense autem Martio passim florebat et semen perficiebat.

CALTHA Americana, foliis laciniatis, flore luteo (a).

Tab. 21.

Multi ab eadem radice oriuntur *caules*, teretes, herbacei, villosi et humi procumbentes. *Folia* conjugatim nascuntur, sesquiunciam longa, unciam vero lata, in quinque lacinias plerumque divisa, sed interdum ludente natura integra, utrinque hirsuta, sed præcipue averfa parte, ubi etiam sunt incana. *Rami* ex alis foliorum oriuntur; *Flores* autem summis infident ramulis. Horum forma congeneribus est similis; color luteus; et magnitudo eadem quæ in figura exhibetur. At *calix* simplex est, quinque constans segmentis latis, mucronatis, et hirsutis. Flosculi, ut in aliis Calthæ speciebus, sunt steriles: semi-flosculis vero succedit corona *feminum* breviusculorum, aspero cortice tectorum.

Nascitur prope Veram Crucem solo arenoso, et præcipue prærupto. Mense Martio 1731 florebat, et semen maturum ferebat.

RICINOIDES folio subrotundo, ferrato; fructu parvo, conglo- Tab. 22.
merato.

Caules huic plantæ teretes, herbacei, et hirsuti, plerumque erecti, non raro tamen procumbentes. *Ramuli* nunc solitarii, nunc terni vel quaterni simul ex caulibus oriuntur. *Folia* subrotunda sunt, pollicem lata, sesquipollicem longa, crenata, villosa, pediculis semiuncialibus infistentia, et incerto ordine posita. In summis ramulis proveniunt

(a) Melampodium americanum Linn.